



Diss. Thk. Vol. I.



Oeltz 61 Q (1-34)

28.

*DISPUTATIO  
THEOLOGICA  
Falsas de  
VETERI ET NOVI  
TESTAMENTI  
DISCREPANTIA  
opiniones  
SOCINI ET OSTORODII  
breviter  
Examinans & destruens:*

Quam

*CHRISTO V. & N. T. MEDIATORE ADSTANTE  
SUB PRÆSIDIO  
Reverendi, Clarissimi, atq; Excellentissimi VIRI  
D.N.*

**VVOLGANGI CRELLII**  
*SS. Theologiæ D. & P. P.*

In

*Inclytâ Viadrinâ*

Eruditorum

Censuræ publicæ

submitit

**JOHANNES MYLIUS Elbing. Boruss.**

Add. 14. Junii

Horis & loco solitis

ANNO

M. DC. XXI.

Prelo

**HARTMANNIANO.**



V I R I S

Magnificis, Spectabilibus, Prudentissimis, Ge-  
neris Splendore & Virtutis laude eminentiss. Autoritate  
Amplissimis

Dn. ISRAELI HOPPIO, BURGRA-  
bio Regio,

Dn. JACOBO BRAUNN PRÆCOS.  
gravissimo,

Dn. JOANNI JUNG SCHULTZ<sup>PROCOS.</sup>  
DN. CRISPINO STÜMERO<sup>S digniss.</sup>

*Atque adeò*  
TOTI SPECTATISSIMO AC INCLYTO  
Ordini Senatorio

Florentissimæ Reipub. Elbingens.

Dominis, Mæcenatibus, Fautoribus  
studiorum suorum Magnis,

Patronis suspiciendis  
*donantur* hanc Theologicam

Observantia debita & gratitudinis  
testande,  
Favoris ulterioris & benevolentiae  
demerenda.

Ergo  
Sacram cupit  
JOHANNES MYLIUS  
A. & R.



# THESES I.



Primus suasionis modus hic  
est, inquit Chrysostomus in Ps: 145. Ab-  
ducere ab imbecillis, & ad valida-  
duducere: quæ vana sunt destruere,  
& quæ vera stabilire: refellere quæ  
decipliunt, & quæ juvant probare.  
II. In quibus autem, & quomodo,  
& quantis rationibus moti V. & N.

T. discrimen ponant Orthodoxi, necno; disputatione supe-  
riori ostensum fuit contrà Socinum & Ostorodium. Nunc  
ergò ut veritas, ventilatis utriusq; partis argumentis, magis  
elucescat; quomodo Ostorodius & Socinus contrà Ortho-  
doxos suam assertionem tueantur, videre, & ut cum Chry-  
sostomo loquar, ab imbecillis abducere, vana destruere,  
quæque decipiunt refellere opera precium fuerit.

III. Ponunt ii, ut antehac notatum est, discrimen V. & N.T.  
in his tribus, videlicet 1. in PROMISSIONIBUS, 2. in pro-  
missionum FUNDAMENTO, 3. in MANDATIS.

De primò statuunt: Patres tantùm habuisse promissio-  
nes de bonis corporalibus; æternæ autem remunerationis  
nullam in tota lege Moysis fieri expressam mentionem, Eve-  
angelio hòc honore reservato: adeoque Christum fuisse pri-  
mum, qui promissionem vitæ æternæ protulerit. Ostorodius  
*Instit. c. 5. §. 21.*

De secundò: Promissiones de Christo & ejus beneficiis  
ad Veteres non pertinuisse *Socin. de servat. part. 1. c. 2.* neque  
eos remissionem peccatorum per sacrificium Christi con-  
secutos esse: quippe quod expandi vim, antequam perage-  
retur, non habuerit, *part. 2. c. 26.* sed D E U M condonasse  
ip[s]i

ip̄is peccata absoluta benignitate citr̄ CHRISTUM part. 3.c.2.

De tertio : Mandata etiam Moralia V.T. in N.T. per Christum perfectiora esse facta, & strictiorem obœdientiam à nobis quam Veteribus requirere, Ostor. Inst. c. 22. Et c.

I V. Primum membrum d. I. Ostorodius quatuor argumentis stabilire allaborat ; quæ breviter excutiemus.

V. Desumit autem I. ex Hebr. c. 8. vers. 6. ubi Apostolus hæc habet verba de Christo : *Nunc verò hoc excellentius sortitus est ministerium quo præstantioris fœderis Mediator est, quod etiam in præstantioribus promissis sancitum est* : Unde sic arguit : Si N. fœdus in præstantioribus promissis sancitum est, quām V. id est, si N. Fœdus sancitum est in promissione vitæ æternæ, Vetus non item ; Veteres utique expertes fuerunt promissionis vitæ æternæ : Atqui verum prius : Ergo & posterius.

V.I. Resp. 1. Ad hoc argumentum in quo inest *Petitio Prinzipii*, antequam explicatius respondeamus præmittendum est, I. *Quis sit scopus Apostoli*; 2. quomodo super præstantioribus promissionibus Fœdus Evāngelii promulgatum dicat Apostolus.

VII. *Scopus* Apostoli est ostendere, Novum CHRISTI sacerdotium Vetere Levitico dignius & absolutius esse : quod illius sacerdotii cùm proprius modus, tūm Finis præstantior sit : Proprius modus ; quoniam Melioris Testamenti Mediator sit : Finis autem ; quoniam Testamentum illud ad Meliores promissiones sit introductum.

VIII. jam promissionum comparatio unde dicitur *Præstantior Promissio*, ad formam potius, quām ex materiam referenda est.

IX. Materiam igitur quod attinet : *Eadem salus est promissa patribus cùm ante Legem* : tūm sub Lege : quæ est nobis promissa hodiè : sicuti communis est *gratia adoptionis*, & communis fides *justificationis* Rom. 4.

X. Formam,



X. Formam autem quod spectat: licet eadem sit expressa,  
promissio salutis: non eadem tamen sed *inaequalis* fuit mensura  
revelationis: cum quod promissio velata esset ceremoniis: tum  
quod proposita esset conditionibus certis Leviticis: à quibus  
ambabus in N.P. per Christum sumus facti immunes.

XI. Deinde promissiones *qua* *sint* expressè ponit Aposto-  
lus ipse, pro suâ sententiâ citans Jerem: c. 31. in quo promis-  
siones illæ præstantiorēs contineantur. Nominantur au-  
tem tres præcipuè, R E G E N E R A T I O V O L U N T A T I S , Da-  
bō leges meas in corda ipsorum; I L L U M I N A T I O M E N T I S , Non  
docebunt frater fratrem; R E M I S S I O P E C C A T O R U M , Pro-  
pitius ero peccatis ēbrum.

XII. 2. Jām sub his promissionibus etsi affirmemus com-  
prehendi quoque promissionem vita æternæ, ipso docen-  
te Ostoradio, Remissionem peccatorum & vitam eternam re-  
idem esse, c. 21. nū 1. tamen hoc præterea præsupponimus; Non  
aliter in promissione vita æternæ dici sancitum Fœdus novum,  
aut negari sancitum Vetus fœdus; quam in illis promissio-  
nibus, nempe de Remissione peccatorum, & reliquis.

XIII. 3. Atqui in promissione Rémissionis peccatorum.  
Novum Fœdus affirmatur, Vetus negatur sancitum: quate-  
nus vel per Vetus fœdus absolute intelligitur lex & sacerdotis  
um Leviticum; quod hic facit Apostolus; vel alius atq. aliis mo-  
dus patefactionis utrobique consideratur.

XIV. 4. Ergò, ut ad argumentum veniamus ex his præ-  
suppositis bifariam responderi potest. Primo enim distin-  
guendum est inter Vetus fœdus; quod ambiguè dicitur; ut  
vel legem & sacerdotium Leviticum absolute spectatum  
significet; vel ipsum etiam Fœdus gratiæ cum Patribus pa-  
ctum comprehendat.

XV. 5. Priori acceptance si in Majore sumitur Vetus  
fœdus, propositio, talis erit: Si N. Fœdus sancitum

A 3 dicitur:

dicitur in promissione vitæ æternæ , V. autem fœdus, id est,  
lex & sacerdotium Leviticum in eadem sancitum negatur ; Ve-  
teres utique fuerunt expertes promissionis vitæ æternæ :  
sed tum negabimus consequentiam. Perinde enim est ac si  
ita colligerem: Si Novum fœdus sancitum dicitur in remis-  
sione peccatorum, lex autem & sacerdotium Leviticum mi-  
nimè; ergò Veteres promissionem remissionis peccatorum  
non habuerunt. Nam ex antecedente hoc tantum sequitur:  
ergò Veteres promissionem de remissione peccatorum ;  
ita ibi promissionem vitæ æternæ ; non sunt consecuti per  
legem & sacerdotium Leviticum; quod ultrò damus , & in-  
de superiori disputatione contrà Socinum probavimus, per  
Christum igitur consecutos esse, communem V. & N. P. Me-  
diatorem.

XVI. 6. Sin a. per Vetus fœdus etiam fœdus gratia intelligi  
debet; sic limitanda erit Major: Si novum fœdus affirmatur  
in promissione vitæ æternæ sancitum ; V. autem fœdus in cā  
sancitum negatur simpliciter , tum Veteres non habuerunt  
promissionem vitæ æternæ. Verum ita Minor; Atqui V. fœ-  
dus in promissione vitæ æternæ sancitum negatur simplici-  
ter; erit ipsum *κανόνες*: & hīc quidem ex nostrā hypothesis;  
quod non aliter in promissione vitæ æternæ V. fœdus san-  
citem esse negetur, quam negatur sancitum in promissione  
remissionis peccatorum , & reliquis, quæ sub præstantiori-  
bus promissis ab Apostolo comprehenduntur; falsa. Cum n.  
e.g. de promissione Remissionis peccatorū constet; eā fuisse  
comprehensam in fœdere gratia cum patribus pacto ; &  
nihilominus negetur in hac promissione fœdus illud san-  
citem; patet, non simpliciter negari fœdus antiquum in pro-  
missione remissionis peccatorum sancitum esse: Sed ratione  
diuersi modi & graduum revelationis , ac per comparationem;

qua-



quatenus longè augustinus & excellentius in N. T. quam V.  
se postquam ante exhibitum Christum ea promissio fide-  
libus offertur. Sic ergo etiam in promissione vitæ æternæ  
fœdus antiquum sancitum esse negatur non simpliciter sed  
comparatè: quia evidenter est quoad fermam ea in N. T.  
quam V. quod nos libenter concedimus & in eo V. & N. T.  
discrimen posuimus.

XVII. 7. Hanc autem esse genuinam hujus loci explica-  
tionem, præter cætera ex eo etiam clarissimè evincitur;  
quod Propheta reliquis promissionibus hanc velut sum-  
mariam adjicit, Totius Testamenti *substantiam*, *promissione*  
& *conditione* integrum, continentem: *E R O I P S I S I N D E U M*:  
*Et ipsi erunt mibi in populum.* Eam promissionem Patribus  
etiam in V. T. datam fuisse certum est, *Confer. tb. 13. & seqq.*  
*prioris disputationis.* Eandem tamen promissionem in earum  
numero ex Prophetâ recenset Apostolus in quibus N. Fœ-  
dus sancitum sit, Vetus non item. Ergone Apostolus & Pro-  
pheta negant D E U M promisisse priscis Patribus se fore i-  
psis in D E U M? Non utique. Hoc igitur volunt cum hanc  
promissionem; sic & reliquas; ad N. Fœdus quodammodo  
restringunt: 1. in Christo veritatem & complementum  
ejus exhibente eam demum verè ratam fuisse, & per hunc  
non per legem aut cultum Leviticum ejus participes factos  
Patres: 2. atque adeò in N. F. Christo jam in Carne exhibi-  
to multò clarius effulgere hunc D E I favorem, quam in V.  
P. factum fuerit. Nam Αρθοεψ Θεον, ut loquitur Chrysostomus Hom. 14. in epist. ad Hebr. § περιτυγμάτων αἰδον το τερπνώς της  
δόσεως. Quæ sufficere ad hunc locum arbitramur.

XVII. Argumentum II. promisit ex 2. Timoth. 1. vers. 10:  
ubi Apostolus; *Qui, nimirum Christus, mortem quidem abo-  
levit, vitam autem ac immortalitatem in lucem produxit per Evan-  
gelium.*



*gellum: unde sic vult colligere Adversarius.* Si Christus demum vitam in lucem produxit per Evangelii prædicacionem utique promissio vitæ æternæ ante Christi in carnem adventum fuit ignota: Atqui prius est: Eo & posterius,

XIX. Resp. Consequentia in Majore nulla est ob ambiguitatem phraseos; Christus vitam in lucem produxit, & immortalitatem; quam de *revelatione* promissionis vitæ æternæ accipit Adversarius: Apostolus autem de ipsâ *exhibitione* ejus promissionis vult intellectam: quod præter cætera verba proximè præcedentia docent.

XX. Tria enim beneficia primo adventu servatoris præstata commemorat Apostolus: 1. *Mortis abolitionem*: 2. *Vitæ generationem*: 3. *Immortalitatis illustrationem*.

XXI. Sicut ergo Christus mortem morte abolevit, non utique *revelando* demum nobis eam esse abolendam, sed re ipsâ per mortem suam destruendo; ita vitam & immortalitatem vitam in lucem produxit, non *annunciando* prorsus incognitam; sed per suam resurrectionem actu *restituendo* perditam *præstanto* *promissam iis qui sedebant in umbrâ mortis*. Esai 9.

XXII. Quod verò additur per *Evangelium*, eo nondum obtinetur, vel vitæ illustrationem, quæ debetur morti & resurrectioni Christi, Verbo adscribendam esse; vel in *Evangelio* demum ministerio Apostolorum factam esse promissionem vitæ æternæ incognitam antè: sed partim eam promissionem gratiæ in *Evangelio Φανερῶς καὶ μὲν παρόντοις in toto mundo predicatam*; partim rei promissæ plenam exhibitionem *præstatam esse tempore præfixo à patre*.

XXIII. Itaque *Evangelium* non divellit, sed cum promissionibus vetustissimis conjungit Apostolus: nec *ipsum contemtibile reddens ignotâ novitate*: nec *fidei Patrum derogans rei exhibita contestatione*: nec *Patres arcens ab ejusdem gratia communione*, qui salutem adepti, fiduciam locarunt suā in



in hac Christi apparitione. **JESUS CHRISTUS** enim idem est,  
hodiè, heri, & in secula. **Hebr. 13. v. 8.**

**XXIV.** Tertium argumentum dicit ex illo **Johannis c. 1.  
v. 8.** quod cum præcedente dicto Pauli connectit: **Deum nemo  
vidit unquam, unigenitus Filius qui est in sinu Patris ipse enarra-  
vit.** Verum nec inde Promissio vitæ Patribus ignota reddi-  
tur; quod evincere adversarius conatur.

**XXV.** Nam Evangelista vel comparat inter se **salutis Noti-  
tias;** vel indicat utriusque notitiae causas. Si primum; fateor hoc  
loci comparationem institui cognitionis divinæ; cùm nos  
strætum Patrum. At nō ut his præcisè negetur, sub Velo datum,  
quod nobis expeditum tribuitur per εξηγουν sine velo per unige-  
nitum. Alioquin ex eodem dicto Patres omni cognitione  
divinâ simpliciter spoliandi fuerint: contrà quām ait Christus  
*Job. 8. Abraham vidit diem meum.*

**XXVI.** Verū notitiae modus clarius indicatur; cognitio  
simpliciter non negatur: siquidem veluti gratia, quā constat  
legis per Moysen datæ veritas in Christo demum est exhibi-  
ta, v. 17. Sic Deus sub N. T. fulgore palam in Christi facie con-  
spicitur; qui sub V. T. nube in parva vivæ lucis scintilla vide-  
batur, 2. Cor. 3. & 4. Ideò Johannes, dicit, inquit, εξηγουν, ple-  
niorem nobis scientiam communicatam notans, non om-  
nem cognitionem Patribus detrahens.

**XXVII.** Sin autem secundum; certum est Evangelistam non  
à remotione cause videlicet revelationis per Christum factæ,  
ad negationem effecti, videlicet cœlestis Patrū cognitionis ar-  
gumentari: sed utriusq; & nostræ & Patrum, quam de promis-  
sionib. divinis, habemus notitiam, Christum facere causam.

**XXVIII.** Res manifesta, si loca similia conferantur. Christus  
**Matth. 11.** inquit: **Nemo novit Patrem nisi Filius & cuiuscunq; Filius  
voluerit revelare.** Ergo ne hinc concludes, Veteres nō novisse  
Patrem, quia Filius non revelaverit ipsis? Potius ita, quia no-

B

verunt



verunt Patrem: Ergo Filius ipsis revelavit: adeoque fuit ante quā nasceretur ex Virgine: quod utrumque Adversario repugnat.

X X I X . Argumentum IV extruit ex Hebr. c. 7. v. 19. qui sic habet: *Nihil ad perfectionem adduxit Lex*, verum introductio ad spem meliorem, per quam appropinquamus DEO. Hic introductionem spei melioris de Evangelio interpretans Ostorodius sic ratiocinatur: *Si per Evangelium spes melior est introducita; sequitur sub lege nullam spem vita eterna factam fuisse*; Ratio, quia alioqui spes melior introduci non potuisset. At prius est: Eo & posterius.

X X X . R. 1. Si daremus locum ita explicandum esse; nulla tamen esset in argumento consequentia ratio. Nō enim per spem meliorem protinus intelligenda fuerit spes *toto genere diversa*; ut est, spes terrena & coelestis felicitatis; sed major gradus ejusdem spei vitæ natiuum & eternæ.

X X X I . 2. Sed neq; hoc vult Apostolus: non enim cōferre instituit promissiones V. T. cum promissionib. N. T. sed, ut supra, sacerdotium Leviticum cum sacerdotio Christi Melchisedeciano, quod ex contextu liquidum. Hodigitur quantum illo præstet ostensurus, inquit; illud nihil ad perfectionem adduxisse; per hoc autem spem meliorem introductam, per quā appropinquemus Deo; nullidens ad Veteris tabernaculi formam ubi nemo appropinquare sanctuarium nudebat, sed ab ingressu ejus omnes, excepto Pontifice & sacerdotibus, arcebantur; quo significatum fuit per Leviticum cultum perse & sine Christo non esse accessum ad Deum, inique coeli sanctuarium, ut declaratur in fr. c. 9. v. 8. Qui ergo aditus ad Deum & in regnum ejus per sacerdotium Leviticum non patuerit (quippe quod ad perfectionem non adduxit, nec cultores suos perse plenè sanctificare potuit) eum ait Apostolus per Christi sacerdotium, legalibus ceremoniis superinductum, reseratum: per quod melior



melior seu propinquior ac evidentior spes de nostro ad D E U M  
accessu, & propitio D E I erga nos favore introducta sit: ut  
non sit jam, quod D E U M refugiamus tanquam impuri, sed ut  
cum omni fiduciâ eum accedere possimus, sanctificati per  
sacrificium Filii ipsius, &c. Hic est loci sensus.

XXXII. 3. Nō igitur sequitur: Si, quam nos habemus spem  
per Christi sacerdotium; eam spem Veteres non habuerunt  
per sacerdotium Leviticum per se consideratum & Christo  
oppositum; quod solum afferit Apostolus: Ergo nullam om-  
nino spem habuerunt seu promissionem vitæ æternæ per si-  
dem in Christum venturum; quod falso concludit Ostoro-  
dius. Quin sic potius colligendum erat: si Veteres ritu illo,  
quod ab ingressu sanctuarii prohibebantur moniti fuerunt,  
per Leviticum sacerdotium tanquam imperfectum non pa-  
ttere sibi ad Deum inque cœlum ingressum *Hebr. 9 v.8.* Ergò  
eo simul excitati fuerunt ad oculos à sacerdotio Levitico ad  
Messiæ desiderio desiderati sacerdotium convertendos, per  
quod ad DEUM inq; regnum ejus admitterentur. *Hebr. 7. v.19.*  
*& c.10. v.19.* Quæ conclusio, sicut ex fine ceremoniarum colli-  
gitur: ( erant enim *χριστοί* ad Christum, cuius sanguine,  
expiantur peccata, per quem contingit spes vitæ: ) sic facit  
pro nobis.

XXXIII. Tandem V. Argumentum dicit ab autoritate  
humana: Ne enim ait, videantur ipsi esse primi, qui sic sentia-  
nt de promissione vitæ æternæ; assert testimonium Bellar-  
mini: qui Patres, puta *August. q.33. lib. Numer. & l.19. contra Faustum c.31.* Item *Hieron. l.1. contra Pelagianos: & in Epistola Darda-*  
*num de terrâ promissionis;* in eadem sententiâ affirmet;  
adeoque hinc colligit Romanam etiam Ecclesiam eam ap-  
probare.

XXXIV. R. i. *Contrà scripturas nemo Christianus, ut rectè Au-*  
*gustinus monuit de Trinit. l.4.c.6.* Vetustas itaq; errori non



parit patrocinium. Quia nostra sententia vetustior, quippe  
vetustissimo Dei verbo comprehensa. 2. Nedicam: Nostros Ec-  
clesiae Idololatrica consensum Adversariis non invidere.  
XXXV. Quid vero si Patres tam à Bellarmino, quam ab Os-  
tiorodio falso producerentur? Sanè ut de unico Augustino  
ad doceamus; ejus verba lib. 4. q. 33. super Num. hæc sunt: Recte  
intelligitur (Dominus Num. 19. de vaccâ rufâ præcipiens) duo  
Testamenta distinguere: & EADEM quippe sunt in Veteri & Novo: ibi  
obumbrata, hic revelata: ibi prefigurata, hic manifestata. Nam non  
solum sacramenta diversa sunt, verum etiam promissa ibi VIDEN-  
TUR temporalia proponi, quibus SPIRITALE præmium OCCUL-  
TE significetur: hic autem manifestissimè spiritualia promittuntur &  
eterna. Quibus non ille negat promissionis speciem EADEM enim  
ait esse hic & Ibi: sed revelationis distinguit mensuram; evidenter  
gradum. Unde subjicit continuò: Juvenca rufa carnem Christi  
significat: sexus fæmineus est, propter infirmitatem carnis. Rufa est,  
propter ipsam cruentam passionem.

XXXVI. Altero autem loco, qui est l. 19. c. 31. contra Faustum  
Manichæum: Nescio, inquit, utrum quisquam in illis libris (V. T.)  
invenit nomen REGNI CÆLORUM quod tam crebro nominat DOMI-  
NUS. Verum quæ sequela? Ergo promissio regni cœlorum  
non invenitur in libris illis. Ipse enim seipsum explicans: I-  
psa vita eterna, inquit, si non illic in manifesto predicaretur, non  
diceret DOMINUS etiam malis Iudeis: Scrutamini scripturas, in-  
quibus putatis vos vitam eternam habere: ipse testimonium perbi-  
bent de me: quo enim nisi ad hoc pertinet, quod ibi scriptum est Ps. 18.  
Non moriar sed vivam & enarrabo opera DOMINI: & P. 13. Ilumi-  
na oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, &c. Hac & alia  
multa sive apertissima, sive obscura inveniuntur illic testimonia vite  
eterna. Et paulò post: Proinde testimoniis vita eterna & resur-  
rectionis mortuorum abundat illa scriptura, sed hoc NOMEN,  
videlicet, REGNUM CÆLORUM, de nullo inde loco mibi occi-  
curtit:



currit: hoc enim propriè pertinet ad revelationem N.T. Rationem autem reddit: Quoniam hoc oris ejus etiam nominandum servabatur, quem regem ad regendos & sacerdotem ad sanctificandos fideles suos, universus ille apparatus V. instrumenti in generationibus factis, dictis, sacrificiis, observationibus, festivitatibus, omnibusq. eloquiorum praconis & rebus gestis, & rerum figuris parturiebat esse venturum, &c.

**XXXVII.** Sic igitur vidimus præcipuas rationes Ostorodii, quibus fatus, Veteres promissione vitæ æternæ privare nittitur, sed frustra: ut è responsionibus subjectis liquere arbitramur.

**XXXVIII.** Jam quibus fundamentis altera illa assertio, quà Veteres negantur promissiones de Christo accepisse, aut remissionem peccatorum per Christum consecutae esse; innixa sit, dispiemus. Socinus sequentibus id argumentis astruere allaborat.

**XXXIX.** Ac I desumit ex 1. Petri 1. v. 10, 11, 12. ubi Apostolus inquit: Prophetas prædixisse afflictiones in Christum venturas & eas quæbas secuturæ essent glorias: neque hæc ministrasse sibi ipsis, sed nobis, &c. unde sic arguit Socinus: Si Prophetæ tantum prædixerunt Christi afflictiones & glorias: & si hæc non ministrârunt sibi sed nobis; tūm quæ de Christo extant promissiones, ad Veteres non pertinent: At prius dicit Apostolus: Ergo verum est & posterius, part. 1. c. 2. de J. C. servat.

**XL.** Resp. 1. Ex eo quod prædixisse dicuntur Prophetæ mortem & resurrectionem Christi, non sequitur ea ad Veteres non pertinuisse: sed contrarium potius hinc colligendum erat: quia Prophetæ prædixerunt mortem Christi: Ergo hac prædictione fidem Veterum in Christum direxerunt. Habeimus enim, τὸ ἀντὸ πνεῦμα ἡμῶν πίστεως eum illis 2. Cor. 4. v. 13. Quare & illi nobiscum eandem promissionem: si fidei unicum objectum sit promissio, ut fatetur Ostorod. c. 1.



**XL I.** 2. Jam quod hæc non sibi ipsis sed nobis ministrasse  
asseruntur; ex eo hoc tatum colligitur: complementum hu-  
jus prædictionis non ipsis Prophetis sed nobis exhibitum: ut  
videlicet Christum mortuum & resuscitatum videremus.  
Præcedente enim versiculo dixerat Apostolus, Prophetas  
scrutatos esse in quod & quale tempus significaret Spiritus  
in Christū, hoc est, in caput membra Christi, venturas afflictio-  
nes & glorias: Jam subjungit; *revelatum ipsis fuisse quod non sibi*  
*hac ministrarent: non quoad fruitionem:* Illi enim ejusdem sa-  
lutis participes fiunt: & per eandem gratiam Domini IESU  
Christi servantur *Act. 15. v. 11.* sed quoad Christi apparitionem,  
quoad promissionum πελεῖωσιν: quam multi Prophetæ & justi  
videre optarunt *Matth. 13. v. 17.* nempè ut exponit Chrysosto-  
mus Homil. 46. in Matth. quoad τὴν παρεγγίαν, τὴν θαύματα, τὴν Φω-  
νην, τὴν διδασκαλίαν αὐτοῦ; quæ illi τὴν πίστει μόνον ἐθεάσαντο: *quod non*  
*in ipsorum tempora sed nostra demum mors & resurrectio Christi*  
incidisset.

**XL II.** 3. Longè a. aliud est; Mors & resurrectio Christi non  
fuit exhibita tempore Veterum, quod solum dicit Apostolus:  
&, aliud; Mors & resurrectio Christi non pertinet ad Veteres,  
quod ex hoc loco colligere vult Socinus. Est igitur Ignora-  
tio Elenchi.

**XL III.** Argumentum II. dicit ab obscuritate prædictio-  
num Propheticarum in hunc modum: si prædictiones Pro-  
pheticae tam sunt obscuræ, ut nihil verè earum intellexisse-  
mus, nisi Christus ipse veniens nobis interpretatus esset;  
tum ad Veteres non pertinuerunt: sed verum est antece-  
dens, ut ostendunt exempla discipulorum Christi *Luc. 18. §*  
*24.* Ergo & consequens.

**XL IV.** Resp. i. Ad antecedens, Est Fallacia causæ. Nam  
quod obscuriores sunt promissiones Patribus in V. T. de  
Christo promulgatae, inde male colligit Adversarius, eas ad  
ipsos



ipsos non spectasse: ut enim fides ipsorum iis inniteretur, sa-  
tis erat, si eas aliquo tantum modo, hoc est, obscurius quam  
nos sub velo perciperent. Quemadmodum percepereunt sa-  
nè Christum occidendum esse Daniel. 9.26. Esa. 53.10. Et resurre-  
eturum Ps. 16.9. Ps. 110. v. 1.4. Item ascensurum in cælum Ps. 68.19.  
Sessurum ad dexteram Dei Ps. 110.1. Missurum Spiritum Sanctū Joel.  
2.28. Collecturum sibi Ecclesiam ex Judæis & gentibus Ps. 110.2.3.  
Esa. 11.6. Defensurum illam sub persecutione Ps. 110.6. Dan. 12.1. Ven-  
turum adjudicandum vivos & mortuos Zachariæ 14.5. Et Tum-  
Regnum illius fore eternum Ps. 44.7. Dan. 7.14. Hebr. 11.16. Luc.  
23.42. Quorsum etiam Typi sacerdotalis officii, nempe Agnus  
Paschalis, Ahron & successores, &c. Et Regii, nempe Josua, Da-  
vid, Salomon, & Serubabel, &c. Et Prophetici, nempe Moyses  
& duo Peda Zachariæ referuntur.

XLV. 2. ad Assumptionem limitando eam. Neq; enim tām ani-  
gmatica dixerit quispia Prophetarum de Christo vaticinia  
ut intelligi abiis, ad quos siebant, non possent ullatenus: qui  
inter alia c. 53. Esa. inspexerit: ex quo liquere potest: quo usq;  
se extenderit Veterum de Christo notitia. Unde August. con-  
trā Faust. Manich. l. 32. c. 7. Omnia, quæ illis continentur libris  
(V. T.) vel de ipso (DOMINO & Salvatore nostro) dicta sunt:  
vel propter ipsum sed propter exercitationem quārentis, & dele-  
ctionem invenientis multò plura ibi per allegorias, & ani-  
gmata partim verbis solis insinuantur, partim etiā facta nar-  
rantur. Veruntamen nisi ALIQUA ibi MANIFESTA essent,  
non comprehendetur sensus, quō etiam obscura clare-  
scant, &c.

XLVI. 3. Neq; hoc obtinetur exemplis Apostolorum, quib;  
Assumptionem stabilire vult adversarius. Nam quod ad locū  
Lucæ 18. si à stupore discipulorum prædictiones Prophetarum  
tantæ obscuritatis arguendæ forent; potius de ipsâ  
concione Christi id faciendum esset. Hanc enim tām per-  
spic



spicuam, tām dilucidam dicit Evangelista non perceptam  
fuisse à discipulis.

**XLVII. 4.** Quod v. ad locum *Luc. 24*. Ibi Christus tām acriter  
discipulorum inscitiam reprehendendo, negat potius eam  
esse Prophetarum obscuritatem; quin prædictiones ipsorum  
de Melsia intelligere possint ac debeant.

**XLVIII. 5.** Alia ergo causa stuporis discipulorum assignanda  
est extra obscuritatem vaticiniorū Propheticorum. Quæ Ea?  
Hilic quidem *Luc. 18*. *Inopinatus pavor* quō consternati stupe-  
bant: hīc a. *Luc. 24*. *pravum prejudicium & falsa persuasio de Re-*  
*gno Messix terreno*: quales tenebræ etiam in dictis clarissi-  
mis locum habere possunt & solent.

**XLIX.** Argumentum IIII. desumit à fine sacrificiorū Leviti-  
corū ac inde sic vult cōcludere: si sacrificia Levitica peccata  
Veterum expiarunt per se, non a. quatenus ea Christi sacri-  
ficio expianda esse adumbrarūt: seqvitur peccata Veterū sacri-  
ficio Christi non esse expiata: sed sacrificia Levitica expiā-  
runt peccata Veterum per se, non autem Christi sacrificio  
expianda adumbrarunt. Ergo, &c.

L. R. Duplex in Minore falso affirmatur: *Unum*; quod sacri-  
ficia V. T. per se & realiter expiarint peccata: *Hebr. 10. v. 4. II.*  
*Alterum*; quod Mors Christi peccata populi V. T. realiter non  
expiarit. *Hebr. 9. v. 15.*

**L I.** Minorē ergo sic probat: Si sacrificia Levitica expiassent  
peccata nō per se, sed quatenus expiāda Christi sacrificio ad-  
umbrarunt; tū non tantū pro leviorib. peccatis, sed gravissi-  
mis. quibusq; instituta fuisset: quēadmodū Christ⁹ h̄c æquè  
expiavit, ac illa: sed posteri⁹ nō est: Ergo nec prius. *part. 2.c. II.*

**L II.** Hīc rursum assumptionem; quod sacrificia Levitica non  
fuerint instituta pro gravioribus peccatis, sed levibus illis  
tantum, probat; idq; tripliciter. *Primum* ex *Hebr. 9. v. 7.* ubi  
sacerdos legalis dicitur obtulisse τῷ ἀγνοουτῷ λαῷ seu  
pro ignorantis populi. *part. 2.c. 12.*

53. Resp.



L III. Resp. Sed imbecille hoc est Argumentum, cum idem Apostolus Hebr. 7. v. 27. ponat i[n] t[er]r[ae] r[es] id[em] a[m]p[er]t[er]a g[ra]uia g[ra]uia i[n] d[omi]n[u]m. Item Heb. 5. v. 1. dicat sacerdotem obtulisse victimas i[n] t[er]r[ae] a[m]p[er]t[er]a quæ vox omnis generis peccata denotat et jam gravissima: omnis enim a[m]p[er]t[er]a vocatur a[m]p[er]t[er]a 1. Jo[b]an. 1.

L IV. Secundò igitur producit locum Num. 15. v. 25. 30. Expiabit sacerdos universam congregationem filiorum Israhel. Et condonabitur illis, quia error est. Et anima quæ fecerit elata manu, id est, protervè tam civis quam peregrinus, Iehovam probis affect, atque excedetur anima illa è medio populi sui. Unde sic colligit: si ea tantum peccata quæ per errorem admissa essent, sacrificiis Leviticis expianda erant: at ea quæ essent facta manu elata morte erant multanda: sequitur sacrificia Levitica pro levioribus tantum peccatis, seu per ignorantiam admissis instituta fuisse: Atqui verum est prius: Ergo & posterius *Ibidem*.

L V. R. 1. Est Elenchus à dicto secundum quid addictum simpliciter. Hanc sequitur: Quædam peccata sacrificio V. T. typicè expiata dicuntur, & sunt a[m]p[er]t[er]a, h.e. per errorem & ignorantiam commissa: Ergo quæcunq; sunt typicè expiata peccata; tantum fuerunt ignorantum errata. Deinde certum est hoc loco per errorem non ea tantum intelligi peccata, quæ nescientes & ex ignorantia committimus; sed, quemadmodum ex oppositione patet, omnia ea quæ non facta sunt manu elata.

L VI. Jam verò concedendum omnino est, interea peccata quæ non facta sunt in manu excelsa, hoc est, ex manifesto contemptu Dei & mandati ejus peccata esse gravissima. Sunt enim inter illa, omnia quæ homo facere solet Levit. 6. v. 7. tam sponte & ex deliberatione, quam per ignorantiam.

L VII. Unde aperte Lev. 9. scortationi; Lev. 6. v. 2. & 4. fraude rapina,



rapinæ, violentia, furto, dolo malo, perjurio, interversioni depositi; quæ certè levia esse peccata aut ignorantia, aut involunta-  
ria nemo dixerit; expiationem per sacrificia Levitica insti-  
tuit Deus. Imò quædam alia PRO OMNIBUS peccatis  
Lev. 16. v. 21. &c.

L VIII. Itaq; hæc etiam peccata erroris voce comprehendit  
pater: adeoq; perperam colligit Adversarius: sacrificia levi-  
tica non expiassæ peccata graviora quia pro erroribus tantum  
expiandis instituta fuerint.

L IX. Neq; hoc ipsum juvat, quod obijcit; talia nempe  
quæ jam diximus, peccata, non solo sacrificio expiata esse  
verum proximo etiam, qui ijs lœsuset, abundè satisfacien-  
dum fuisse. Satisfactione enim illa potius sartiebatur damnum  
proximi, quam expiabatur peccatum. Et quid de perjurio di-  
cemus? quod cum directè in DEUM impingeret, nullâ  
aliâ satisfactione intercedente per solum sacrificium typicè  
expiatum fuit.

L X. Quod verò urget de peccatis in excelsâ manu perpe-  
tratis, ea videlicet morte multanda fuisse; ex eo non colli-  
gitur; ea non esse typicè expiata sacrificijs Leviticis. Pœnam  
enim temporalem expiationem peccati per sacrificia posse simul  
subsistere manifestum est, ex Levit. 19. ubi seortatores & fla-  
gellari jubentur, & offerre sacrificium pro peccato suo.

L XI. Deus igitur mortis supplicium constituens talibus  
peccatis, eorum imputati tantum, non expiationi inter-  
dicit.

L XII. At concesso licet, pro peccatis in excelsâ manu per-  
petratis non fuisse instituta sacrificia Levitica: non tamen  
hanc conclusionem hinc elicet Adversarius, pro levibus tā-  
tum peccatis sacrificia instituta fuisse; cum jam probatum  
fuerit, inter ea etiam peccata quæ manu elatâ facta non sunt,  
& proinde sacrificijs leviticis expiabantur, esse peccata gra-  
vissi.



vissima: nec alterius argumenti conclusionem confirmabit quod sacrificia levitica non adumbrarint Christi sacrificio peccata expienda.

LXIII. Tertiò minorem suam de expiatione levium tantum peccatorum confirmat Socinus ex *Auctor. 13.* ubi ait Apostolus in Christum credentes justificari ab omnibus, à quibus lex Moysis justificare non potuerit: Ergo, inquit, non ab omnibus peccatis lex expiavit: ea igitur erunt peccata graviora.

part. 2. c. 18.

LXIV. R. Nulla est consequentia; propter ambiguitatem Terminorum: Apostolus enim loquitur de Justificatione seu expiatione spirituali & internâ, quæ sit per Christum: Socinus de expiatione sacramentali & externâ, quæ siebat per sacrificia. Deinde Apostolus non excipit quædam peccata à quibus expiare seu justificare lex Moysis non potuerit: sed de omnibus peccatis dicit, quod lege Moysis in se consideratæ expiari nequeant: sed per Christum verè expientur. Ac si argumentatio Apostoli: Judæi debent credere in Christum: quia per Christum justificantur ab omnibus à quibus lex justificare non potest; secundum adversarium ita intelligenda esset: Judæi debent credere in Christum: quia per Christum justificantur à peccatis etiam gravioribus, quæ in lege per sacrificia non expiantur; infirma foret collectio. Judæi enim regerere potuissent ex hypothesi Socini: etsi non per sacrificia in lege Moysis expientur peccata ipsorum graviora; expiari tamen gratia Dei absolutâ: adeoq; se non opus habere Christo per quem expientur à peccatis gravioribus: siquidem citrâ Christum quoq; id assequi possint.

LXV. Ita ergo intelligendum cum dicit Apostolus, justificari credentes ab omnibus, à quibus lex Moysis non justificet; quasi dicat: Nullam expiationem, quæ in lege statutam esse posse nisi fides in Christum accedat. Atq; ita fir-



miter concludit Apostolus: Judæi debent credere in Christum: quia sine fide in Christum peccata ipsorum in legi expiari reipsa non possunt: ita ut liberentur à peccati conscientiâ.

LXVI. Destructo igitur hoc fundamento, quod sacrificia levitica prolevisoribus tantum peccatis instituta sint; concidit & altera illa, huic superstructa assertio: quod sacrificia levitica non adumbrarint Christi sacrificium; atq; adeo neq; sacrificio Christi peccata Veterum expiata sint: quæ erat principalis argumenti conclusio.

LXVII. Aliud itaq; iv. loco medium pro ea promit Adversarius à requisitis eorum quibus peccata in V. T. condonari debuerint: atq; ita argumentatur: Si Deus à veteribus ad remissionem peccatorum impetrandum nihil requisivit præter vitæ innocentiam ac puritatem, non utiq; per Christi sacrificium remissionem peccatorum impetrarunt: Sed prius est, quod multis exemplis & dictis scripturæ, in quibus peccatorum condonatio promittitur pœnitentiam agentibus, probat: Ergo & posterius part. 3 c. 2.

LXVIII. R. Malè in arguento oppontuntur, quæ se mus tuo non tollunt. Utrumq; enim verum est; & pœnitentiam agentibus ac innocentia vitæ studentibus remitti peccata, & remitti propter sacrificium Christi: nisi quod duo ista diversimodè consideranda sunt. Christi quidem sacrificium, ut causa meritoria remissionis peccatorum: pœnitentia vero & puritas vitæ, ut necessarius effectus ejusdem.

LXIX. Atq; eo fit quod vitæ emendationem ab ijs qui peccatorum remissionem consequi velint, ita serio Deus requirat: non quod propter hanc peccata remittantur: sed quia fides in Christum & in ejus sacrificium, qua mediante hanc gratiam Dei participamus, non aliter dignosci potest, quam ex his suis fructibus, innocentia vitæ & bonis operibus



ribus. Nam qui justificantur, eadem operā sanctificantur simul.

LXX. Argumentum V dicit à definitione fidei Veterum: si fides Veterum non includit respectum ad Christum, & vero ea fide justificati fuerunt ipsis; utiq; citrā Christum justificati sunt: sed verū antecedens: Eo & consequens. *Ibidem*.

LXXI. Minorem probat Socinus ex ea fidei definitione, quam habet Apostolus *Hebr. 11. v. 6.* & *Oforod. Instit. c. 2. exemplo Rachab*, quæ, ut Ethnica, de Christo nihil sciverit, & tamen per fidem justificata sit teste Apostolo d. I.

LXXII. R. I. Quod ad *Hebr. 11. v. 6.* sic ibi Apostolus Fidem describit: *Qui vult accedere ad Deum, eum*, inquit oportet credere esse Deum, & esse renumeratorem querentibus se. Hic quia non fit explicita mentio Christi, putat adversarius eum excludi: nos ut negamus hic fidei absolutam definitionem tradi: sic in hac descriptione includi Christum ita probamus.

LXXIII. Primo cum Apostolus jubet eos, qui accedere ad DEUM volunt, credere: esse DEUM: certè non vult ipsos apprehendere quemlibet DEUM, sed hunc DEUM qui se patefecit in verbo. Patefecit autem se DEUS ut patrem D.N. J.C. Ergo sequitur, eos qui credunt in DEUM, credere quoque in Christum; unde Christus *Joh. 14.* inquit, Creditis in DEUM? credite quoq; in me: Atqui veteres crediderunt in DEUM. Ergo etiam in Christum. Nemo enim ad patrem venit nisi per ipsum.

LXXIV. Deinde cum Deus dicitur Remunerator eorum qui ipsum querunt, h.e. amant, timent honorant invocando, celebrando, quiq; ei obediunt: & verò nec sit remunerator nisi in Christo tanquam unico Mediatore; unde etiā Apostolus hæc duo conjungit, *Unus Deus, unus Mediator*; nec invocari possit sine eo; sequitur Veteres cum crediderunt & quæsiverunt.

C 3. Deum



Deum remuneratorem, credidisse, quod sit remunerator in Christo, in Messia.

LXXV. 2. Quod ad exemplum Rachab, si id de ea simpliciter affirmatur sine respectu temporis; nego ipsam nihil de Christo scivisse. Cum enim postmodum transierit infamiam Abrahami, dubium non est, eam de Christo edociam fuisse.

LXXVI. Si vero de eo tempore dicitur, quo audita fama miraculosae gubernationis fiducia Dei Israëlitarum, Exploratores missos occultavit, concedipotest: sed nihil sequitur. Rachab n. per illam fidem eodem tempore, non eternam salutem consecuta esse, verum à temporali interitu servata legitur: et si alias non dubitamus, ut Christi aviam, sic vita cœlestis hæredem factam & æternum quoque servatam: sed per fidem quam habuerit respectum ad Christum seu Messiam. Actor. 15. 11. & 10. 43.

LXXVII. Atque hæc etiam sunt palmaria argumenta: quibus Adversarij secundum assertionis suæ membrum. de V. & N. T. discrimine stabilire conantur. Ad tertium igitur progradientes videbimus: quibus rationibus Ostorodius contendat: Praecepta moralia V. T. adaucta esse in N. T. Quasi scilicet Justitiae Inchoatio olim tradita sit in Lege: Perfectio in Evangelio doceatur: Illic inchoatio rectæ vitæ, hic absolutio.

LXXVIII. Argumentum i tale est, ex Matth. 5. v. 17. Si Christus dicit se venisse ut impleret legem; utique credendum est, quod eam perfectiorem reddiderit, & novis additamentis compleverit: Atqui verum prius: Ergo & posterius. Inst. cap. 22.

LXXIX. R. Negando consequentiam majoris: quia phrasis illa; Implere legem; ambigua est. Hic autem eam non de perfectione seu adauctione aliqua accipi debere: sed partim de

vixi-



verificatione mortua literæ per Spiritum: partim de præstatio-  
ne & exhibitione eorum quæ in lege vel prædicta vel præcepta  
vel figuris ostensa sunt; cum loca parallela, ubi Christus varia  
fecisse dicitur, ut impleretur scriptura, h. e. ut ejus veritas  
comprobaretur, tum contextus ipse evidenter evincit, &  
in primis v. 18. d. c. Postquam enim versu præcedente Christ⁹  
dixerat, se non venisse ut solveret, sed ut impleret legem,  
hanc sequenti versu ætiologiæ loco asseverationem; *Amen*  
enim dico vobis donec prætereat cœlum & terra, iota unum aut unus  
apex non præterierit ex lege quoad omnia facta fuerint; subjici-  
ens, ostendit: quomodo venerit implere legem, videlicet  
nihil eorum prætermittendo quæ in lege scripta sunt. Quo-  
modo ( inquit Chrysostomus hom. 16: in Matth.) implesse vel  
Legem dicitur, vel prophetas? Prophetas quidem, quia ea quæ de  
ipso dixerant operibus cuncta firmavit &c. Legem vero non  
uno sed altero & tertio implevit modo. Uno; quia nihil ex le-  
gitimis ipse transgressus est Joh. 8. Et. 51. Alio; quia per nos  
quoq; id ipsum facit Rom. 8. scilicet per fidem: Tertio per  
τὴν μετάθεσιν τομοθεσίαν ἡνπερ ἐμελλε τῷ θρόνῳ δόνας sc. τοὺς αὐτούς Φαίλειαν.  
Αμήκανον γέ τὸν αὐτέλεσον μὲνα, αὐλαὶ καὶ βεργάντας αὐτοὺς παληωθῆνας δεῖ  
LXXX. 2. Ne vero id nostram labefactare, Adversarij inter-  
pretationem stabilire possit: quod Christus continenter  
postea subjicit ejusmodi mandata, quibus videtur perfecti-  
orem reddere legem; tenendum est: quod oppositionem  
hic instituat Christus non inter sua & Moysis præcepta, sed inter  
Deimandata & hominum deuteōtēs neq; ēn τὰ λαύτα patrum, & α-  
ναίγες παλαιάς ut vocat Chrysostomus Hom. 16. in Matth. suam  
legis explicationem, falsæ Pharisaorum & Scribarum Legis  
ad externa tantum officia restrictioni opponens: Quod Ad-  
versario, quia scire vult quo nixi fundamento id afferamus,  
ipsa textus cohærentia liquidum facere poterat.  
LXXXI. Neq; enim in præcedentibus ullo verbo Christus  
im-



:imperfectionem legis accusarat: sed ejusq; tantum stabilitate  
asserta v. 17. & 18. eos taxarat, qui vel minimum legis præ-  
ceptum dissolverent v. 19; inter quos nominatim refert Phari-  
sæos & Scribas v. 20; ac proinde discipulos hortatur, ut stude-  
ant justitiae quæ magis conformis sit legi, quam justitia Phari-  
sæorum & scribarum: atq; ita jam seqq. v. ostendit aliquot  
exemplis quomodo se legi magis conformare debeant:  
ut justitia ipsorum magis abundet quam Pharisæorum &  
scribarum. Unde sane patet id quod diximus: opponere  
Christum hanc suam ἐπανέθεσιν non ipsi legi sed ejus per  
Pharisæos depravationi; & vitioso docendi generi: quod  
liquidius etiam fiet, ubi reliqua argumenta quibus ad-  
versarius speciatim præcepta nonnulla legis ipsa à Chri-  
sto reformari Matth. 5. contendit, resolyerimus.

LXXXII. Sextum itaq; præceptum (II) perfectius reddidisse Christum ita colligit: Silex Moysis nullibi prohibuit iram & convicia in proximum; tum sequitur hoc novum es-  
se additamentum Christi Matth. 5. hæc vetantis, ad præ-  
ceptum de non occidendo: Sed prius est: Ergo & posteri-  
us, c. 23.

LXXXIII. R. Per inficiationem Minoris qua nihil falsius es-  
se potest. I. enim præterquam quod expressè refellitur cum  
alibi tūm Lev. 19. v. 16, 17. 18. ubi & irasci proximo & eum calu-  
mniari disertis verbis vetamur: certè 2 mandatum de dili-  
gendo proximo evincit, directè contrariari legi iram &  
calumniam in proximum. Negare omnino Adversarius non  
potest in N.T. cum jubemur diligere proximum, ut nos  
ipsos, interdici nobis odio, iræ, convicijs in proximum: Exi-  
gitur n. Perfectus amor proximi. Atqui ijsdem verbis dile-  
ctio proximi in V. quoq; T. præcipitur: sequitur ergo, iis  
quoq; interdici ipsis simul iræ & conviciis in proximum.

LXXXIV. Quod cum manifestum esse videat adversarius,  
omis-



omissa illa nore suâ: cuius in toto capite; quod in sola  
exaggeratione iræ & odij in proximum consumit; nullam  
affert probationem: & concessò, quod ijsdem verbis Veteri-  
bus atq; nobis præceptum de dilectione proponatur; con-  
tendit tamen diversum esse utrobiq; eorundem verborum  
sensum: & in N. T. verbis ijsdem dilectionem proximi, rati-  
one modi ardentiorem; ratione objecti ampliorem præcipi,  
quam in V. T.

LXXV. *Ardentiorem dilectionem in N. T. præcipi ut pro-*  
*bet, sic III. argumentatur: Si verba illa, Diliges proximum*  
*ut te ipsum in lege restrictivè, in N. T. universaliter accipienda*  
*sunt; sequitur ardentiorem dilectionem proximi in N.*  
*quam V. T. præcipi; adeoq; à Christo additum aliquid ad*  
*legem de dilectione proximi: At verum est antecedens: Er-*  
*gò & consequens. c. 32.*

LXXVI. *Minoris prosyllogismus hic est: Si præceptum il-*  
*lud; Oculum pro oculo; cum hoc præcepto; diliges proximum ut*  
*te ipsum; simul consistere non potest, nisi istud præceptum*  
*restringatur: sequitur verba illa, ut te ipsum, restrictivè in*  
*lege esse accipienda: At qui non possunt simul consistere, ni-*  
*si verba, ut te ipsum, restrictivè accipientur: Ratio, alias nemo*  
*oculum proximi pro suo poscere posset, qui ipse, si alteri o-*  
*culum eruisset suum sibi vicissim erui nollet: Ergo &c. I-*  
*bidem.*

LXXXVII. R. *Quid per terminos restrictivè & universaliter*  
*hic intelligat Ostorodius, & quem eorum verborum; Diliges*  
*proximum ut te ipsum, sensum faciat, si restrictive capiantur,*  
*explicatus meritò dicere debuisset, si sustinere posse speras-*  
*set suam sententiam.*

LXXXVIII. 2. *Verum quam affert rationem hujus suæ di-*  
*stinctionis in prosyllogismo, ea nulla est. Nam concessò*  
*quamvis legem talionis & dilectionis non posse simul consiste-*

D

re si.



re sine hujus restrictione: tamen non aliter restringendum  
esse præceptum dedilectione proximi sequetur quam ita; ut  
post ponatur bono publico, ad cuius incolymitatem facit  
lex illa talionis. Sed ita non obtinebit Adversarius quod  
vult: cum eodem modo, non solum in V. sed N. T. etiam di-  
lectio restringatur, ut videt. latius non pateat, quam Dei A-  
mor & publica salus patitur.

LXXXIX. 3. Sed quid si dicamus posse simul consistere utram-  
que illam legem, cum & ipsa poena talionis: ut pote quæ non  
tantum ad emendationem ejus cui irrogatur, sed & alio-  
rum securitatem facit; à dilectione proficiscatur?

x c. 4. Nam quod objicit Adversarius: Neminem qui dili-  
gat proximum ut seipsum, posse oculum proximi pro suo  
polcere: quia nemo sibi velit oculum vicissim erui, si alteri  
eruisset, frivolum est. Etsi n. diligere proximum ut nos ipsos  
jubemur, tamen, ut jam attigimus, non *perversum ac pravum*  
*judicium* cuiusquam debet esse mensura dilectionis proximi;  
sed *Verbum Dei*. Próinde etiam cum in ijs, quæ sunt contra  
verbum Dei non gratificamur proximo, licet à nobis id con-  
tendentii, contrà præceptum de dilectione non peccamus.

xci. Veruntamen videtur id facere pro adversario, quod ipse  
putat, legem talionis sublatam in N. T. Mat. 5, quæ in V. fuerit  
concessa illis verbis; Oculum pro Oculo; ad eo q; adhuc sequi  
quod N. T. ardenter dilectionem præcipiat, atq; legē hac in  
parte perficiat. Sic n. IV ratiocinatur: Si in lege privata tan-  
tum vindicta erat prohibita, in N. T. v. etiam publica, quæ fit  
per Magistratum; sequitur hac in parte legem Veterem à  
Christo amplificatam &c: At prius est: Ergo & posterius.

xcii R. Possemus hoc argumentum, quemadmodum & ante-  
cedens, simpliciter rejicere, quippe quod de lege *juridicali*  
non *moralis* agens præsentem controversiam parum attingit:  
tamen ut adversario satisfiat, respondem⁹ breviter, I. Adver-  
sarium



sarium à sanctione vindictæ legem præpostere arguere imperfectionis. Hoc n. præsuppositum necesse est concedat. Deum et si in V.T. dispensasset de quibusdam præceptis moralibus, ut non tenerentur ea ad eò stricte observare nunquam tamen perfectiorum obedientia interdictorum fore; At qui vindictam publicam non concessit tantum Deus; verum etiam ejus intermissioni sub gravissima coominatione interdixit; Ergo præpostere hinc legem imperfectionis arguit Ostorodius.

xciii.2. Dicimus minorem syllogismi esse falsam: quippe quæ falsa nititur hypothesi; quod Vindicta nihil aliud sit quam facere ut alteri male sit, qualiter eam d.c. describit adversarius. Nos distinguendum esse censemus, inter vindictam, quæ fit tantum cum animo nocendi ac malum pro malo reddendi; & vindictam quæ fit adjustitiam & vinculum societatis humanæ factum tectumq; conservandum.

xciv. De illa Adversario libenter concedimus in N.T. prohitam; sed ita argumentum nihil concludit: cum eandem illam in V.T. licitam fuisse probari non possit: hanc autem non in V. tantum verum N. quoq; T. concessam docet Apostolus Rom. 13. cum ait; Magistratum esse ministrum Dei ultorem ad iram ei, qui quod malum est fecerit.

xcv. Unde liquet, quomodo intelligendum sit, quod Christus ait Matt. 5. v. 38. videlicet improbare ipsum ibi propositum proximo, qui te læserit vicissim nocendi: non autem legitimam illam vindictam, quæ bono fine per Magistratum exercetur, tollere; quod in argumento vult Adversarius.

xcvi. Etsi idem, sibi contradicens, postea concedit; licet e Magistratu scelera vindicare; sed pœnam ita moderandam esse contendit, ne vel vita delinquentis noceat, vel alioqui in corpore ipsum deformet: quâ de re prolixius hic differere, nihil refert.

xcvii. Id tamen quod concessit, de ijs tantum capi vult, qui



Tunt extrā Ecclesiam; contra fratres a. & domesticos fidei provocare ad Magistratum illicitum putat ex 1. Corintb. 6.  
xcviii. Nos ad eum locum respondemus: Apostolum illie fratribus seu Christianis interdicere quidem litibus mutuis; verum id ī cōrām magistratu infideli: quā ratione fides Christiana ludibrio exponitur; 2. de causis quibus vis leviorib., quod Corinthiorum Philotheniar arguebat; cum injuriæ non ita graves paci Ecclesiae condonandæ potius essent. His a. conditionibus cessantib ad Magistratum Politicum provocare contrafratré etiam; ab Apostolo interdici nō probabit Adversariq.  
xcix. Argumentum V. quo adversarius probare vult ampliorē dilectionem in N. T. præcipi quam in V. sic habet: Silex Moysis proximum tantum diligere jubet, inimicum vero odio habere permittit; sequitur hoc esse complementum legi adjectum à Christo, quod Mat. 5. jubet etiam inimicum diligere: Atqui lex Moysis proximum tantum diligere jubet, at inimicum odio habere permittit: Ergo &c. c. 27.

C. Minorem probatu difficultatem fatetur ipse adversarius; atq; a deo non aliter eam confirmat, quā amoliendo, quā infirmare eam possint. Videntur autem ei tria præcipue obstaret  
cI. Primo præceptum de diligendo proximo; quod proximi voce alias omnes homines comprehendit. Secundo præceptū de benevolentia inimici oneri succumbente non deferendo Ex 23. v. 4. 5. Tertio Dictum Salom. Prov. 25. v. 21. 22; Si esuriat osor tuus ciba eum pane, & si sitiatur, da ei bibendum aquam; Nam carbones ignis coacervabis super caput ejus & Jehova rependet tibi: quod totidem verbis repetiit Apostolus Rom. 12. v. 10. tanquam perfectissimam normam dilectionis.

cII. Ad primum excipit Ostrodius voce proximi in lege intelligi eum tantum, qui sit ejusdem populi videlicet Israëlitici: quia Moses quem anteā Lev. 19. filium populi tui dixerat postea nominet proximum tuū. Ad secundum, eo in loco per inimi-



inimicum notari solum eum, qui sit ex populo Israel, & nihilominus inimicitias tecum gerat. cum in precepto Christi, Dilig. inimicos, per inimicum extraneus indigitetur. Ad tertium, id non esse preceptum, sed exhortationem ad opus tam egregium.

CIII. R. I. per proximum intelligi in lege popularem Israelitarum certum est, sed per eundem intelligi etiam extraneum & peregrinum, ostendit v. 34. c. 19. Levit. ubi: quod in lege de proximo, idem Israelitis de peregrino praetipitur: ut diligant eum sicut seipso. Adeoque proximi nomine in lege venire omnes, qui ope nostra egerint, docet Christus Luc. 10. luculento simili sive exemplo, sensum legis, scribax eum non assequenti, declarans.

CIV. 2. Christus cum jubet diligere inimicos, voce inimicorum simpliciter eos complectitur, qui nobis infensi sunt, seu nos non diligunt, ut patet ex v. 46. sive iij. sint extraenei, sive eandem nobiscum fidem profiteantur. Idem facere Moysen in loco allegato tamdiu verum est, dum contrarium probet Adversarius.

CV. 3. Frivolum hoc est effugium, eum dicit in Salomone non esse preceptum de inimico diligendo, sed exhortationem tantum. Nam hoc licet concessio, nostra sententia tamen manet verisimilior: utpote quae expresso dicto scripturae V. T. approbatur: cum pro sua opinione adversarius nullum apicem proferre possit. Sed his refutandis prolixius insistere nihil refert.

CVI. Ad 6. argumentum venimus, quod non est inter ultima: eo septimum preceptum decalogi a Christo locupletatum probare annitens, sic insurgit: Si in lege non erat prohibitus libidinosus aspectus mulieris; divorcium ob quamlibet causam; usus concubinarum; polygamia: & v. haec omnia in N. T. a Christo prohibentur; sequitur, Veterem legem, de non moechan-



do, his additionibus adaugtam: At non fuerunt illa prohibita in V. T. Ergo &c.c.24.

CVII. R. i. Quod ad primum assumptionis membrum de *libido*: *noso intuitu mulieris*, per quem nihil aliud, quam pravae cordis unctiones intelliguntur, eum in V. T. licitum fuisse; si nullo alio ex fundamento, certe ex precepto, De Deo diligendo ex toto corde, ex tota anima, & omnibus viribus; constanter negaremus. Etenim diligere Deum ex toto corde & *uri lascivo amore*, ea vero est diametro pugnant.

CVIII. Sed expressius nobis suffragatur decimum decalogi preceptum, quod jubet; ne concupiscamus uxorem proximi nostri: quo omnes lascivientium cupiditatum affectus, sive per aspectum, sive quovis alio modo se exerentes, ut illiciti damnantur. Quid cum Hiob ab omni suspicione adulterij se purgaturus, dicit: fœdus se pepigisse cum oculis suis ne virginem aspiceret? utique impudicum etiam aspectum mulieris displicere Deo judicavit.

CIX. 2. Quod ad secundum membrum de *divortio*, fatendum est, illud in V. T. permisum fuisse quidem, sed lege tantum *judiciali*, & eatenus, quatenus à Magistratu Politico non est punitur. Nobis vero hic controversia nulla est de lege Moysis forensi; sed hoc queritur, An legem moralem Moysis Christus novis additamentis perfecerit. Id igitur probandum erat adversario. Divortium permisum fuisse legem morali: quod nunquam poterit,

C X. Divortium enim nunquam placuisse Deo præter alia docet Christus, cum propter duritiem cordis Judæis permisum fuisse testatur Matth. 19. Quin idem cum dicit contra hanc inventeratam divortiorum licentiam ad primam institutionem conjugij in lege provocat; certe satis ostendit: se non ut novum legislatorem, qui Veterem legem novis additionibus amplificari: sed ut fidelem interpretem, qui legem Veterem abu-



abusibus & corruptelis repurgaverit, suæq; integritati restituuerit considerandum esse.

CXI. Quod ad tertium & quartum; de *Concubinis & polygamia*  
Veterum disputari multa solent, an licita fuerit nec nequam controversiam hic non persequemur. Ponimus nos usum concubinarum & polygamiam permisam fuisse patribus: Non tam lascivis ob *plaga orientalioris indolem* affectibus plus cœteris æstuantibus, quam ob *sobolis studium in amorem* pronis: sed negamus inde sequi id quod concludit Adversarius: legem ergo moralem in N. T. ubi hæc sublata sunt redditam perfectiorem. Neq; enim veterum *imperfectioni*, & quod non essent capaces majoris continentiae; Sed *promissioni* ipsis factæ de seminis multiplicatione hæc concessa fuisse statuimus.

CXII. Dupliciter igitur considerari potest patrum polygamia i. quatenus ea usi sunt *ad affequendam promissionem de semine* ipsorum multiplicando; exemplo Saræ supponentis Abraham Agaram, ut ex ea semen susciperet: 2. quatenus eā *ad libidinem explendam abusi* sunt. Hoc mores concernit: Illud peculiariter *statum Rep. Israeliticæ spectat*; hoc respectu prohibita erat polygamia etiam in V. T. illo concessa.

CXIII. Unde efficitur legem de polygamia quā moralis est, in N. T. perfectiorem factam non esse: cum eodem respectu in V. T. etiam prohibita fuerit, quo prohibetur in N. quatenus videlicet libidini subservit. Si dicas; in N. T. omnem polygamiam *simpliiter prohiberi* sive *castam*, sive *secus*: respondeo, ideo prohiberi *omnem* polygamiam in N. T. quia, sublato altero illo fine polygamiae videlicet *multiplicatione seminis*, cuius nos in N. T. ita *specialiem* promissionem non habemus, nulla polygamia præsumitur esse casta.

CXIV. Ita vidimus etiam præcipua argumenta, quibus adversarij tertium membrum suæ assertionis de discrimine V. & N. T. stabit.



stabilire conati sunt: quod videlicet lex moralis in N. T.  
ad majorem perfectionem perducta sit. Reliquas enim quas  
afferunt rationes magni esse momenti non ducimus.

cxv. Atq; ita tres illas, quas superiore disputatione totis  
dem adversariorum thesibus opposuimus antitheses; I quod  
Veteres ipsi etiam habuerint promissionem vita & eterne: 2. quod  
remissionem peccatorum per Christum, & quæ ac nos, consecuti  
fuerint: 3. quod precepta moralia ab ipsis pariter perfectam obe-  
dientiam, atq; à nobis, requisiuerint; satis confirmatas con-  
fidimus.

cxvi. Unde ex etiam, quas nectunt ex suis hypothesisibus ad-  
versarij, consequentia corruunt: ex quibus hanc unam li-  
bet corollarij loco adjicere, quam Socinus dicit ex illa suâ  
hypothesi; quod Veteres remissionem peccatorum per  
Christum consecuti non sint, sed ex mera Dei liberalitate,  
eaq; absolutâ. Hinc enim concludit part 3, cap. 2. Si in V. T.  
sine satisfactione ullâ verâ DEU S peccata remiserit; multò mas-  
gis sub N. T. quod pra illo tempus gratia appellatur sine verâ satisfa-  
ctione pro peccatis à Christo præstitâ peccata remissurum esse pœni-  
tentibus. Quam argutationem, ut uno verbo jugulat A-  
postolus Hebr. 9. v. 22. χωεις αἱματικοῖς ἐγίνεται ἀΦεσις; & to-  
ta scriptura afferens DEUM non solum perfecte misericor-  
dem sed & perfectè justum: Ita hic prolixius examinare  
non licet. Ipsi autem disputationis actui plu-  
ribus ventilandam serva-  
mus.

os (O) se



617.

i

m-

22.





29.  
28.

DISPUTATIO  
THEOLOGICA  
Falsas de  
VETERIS ET NOVI  
TESTAMENTI  
DISCREPANTIA  
*opiniones*  
SOCINI ET OSTORODII  
*breviter*  
*Examinans & destruens:*  
*Quam*  
CHRISTO V. & N. T. MEDIATORE ADSTANTE  
*SURPRESIDIO*

